Quelle: https://manuscripta.at/?ID=128
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

gismo est. Quod uero non omnibus que conueniunt
sillogismo propositionibus utitur: a sillogismi
ratione discedit. atque ideo imperfectus uo-
catur est sillogismus. Exemplum quoque inducti-
oni simili ratione copulatur et ab ea
dissidet. Est enim exemplum quod per parti-
culare propositum. particulare quoddam
contendat ostendere hoc modo. Oportet a
tullio consule necari catilinam. cum ab
scipione graccus fuit occisus. Quod uero
que particula esse. ac non uniuersalia sin-
gularium designat impositio personarum.
Quoniam igitur ex parte partem approbatur: quasi
inductionis similitudinem tenet id
quod exemplum uocatur. Quod uero non
plures quibus id efficiat colligit par-
tes: ab inductione discedit. Ita igitur due
quidem sunt argumentandi species princi-
pales. una que dicitur sillogismus. altera que
uocatur inductio. Sub his autem et uelut
ex his manantia sunt entimema at-
que exemplum. Quequidem omnia ex sil-
logismo ducuntur. et ex sillogismo ui-
res accipiunt. Siue enim sit enthime-
ma siue inductio. siue et exemplum:
ex sillogismo quam maxime fidem
capit. Quod in prioribus resolutoriis quos
ab aristotele transtulimus demonstra-
tum est. Quo circa satis est de sillo-
gismo differere. quasi principali et cete-
ras argumentandi species continente.
Restat nunc quid sit locus aperire. Locus
namque est ut marco tullio placet argu-
menti sedes. cuius diffinitionis quid sit
paucis absoluam. Argumenti enim sedes
partim maxima propositio intelligi potest:
partim propositionis maxime differentia.
Nam cum sint alie propositiones que cum per se
note sint: tum nichil ulterius habent
quo demonstrentur atque he maxime
et principales uocentur. sint que alie qua-
rum fidem prime ac maxime suppleant
propositiones: necesse est ut omnium que dubitan-
tur ille antiquissimam teneant pro-
bationem. que ita aliis fidem facere
possunt. ut ipsis nichil queat notius in-
ueniri. Nam si argumentum est que rei
dubie faciat fidem: id que notius ac pro-
babilius esse oportet. quam illud est. quod
probatur: necesse est ut argumentis omnibus
illa maximam fidem tribuant. que
ita per se nota sunt. ut aliena proba-
tione non egeant. Sed huiusmodi propositio
aliquotiens quidem intra argumenti ambi-
tum continetur. aliquotiens uero extra po-
sita. argumento uires supplet ac per-
ficit. Et exemplum quidem eius ar-
gumenti quod maximam retinet
propositionem: huiusmodi est. Sit enim questio
an regnum melius sit consulatu. Ita
igitur dicemus regnum diuturnius est quam
consulatus. cum utrumque sit bonum. At uero
quod diuturnius bonum est. eo quod par-
ui temporis est melius est. Regnum igitur
melius est quam consulatus. Huic igitur argu-
mentationi maxima propositio .i. locus